

CLIV.

Anno 1495. Inter octavas Resurrectionis Domini. Crisii.

Joannes Corvinus, Liphoviae Dux, Regnorumque Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banus, nobilem Hungarum Johannem Gyulay, SS. et OO. Regni Slavoniae consentientibus, salvo jure Regni, Vice-Banum nominat.

Nos Johannes Corvinus Oppauie et Liphouie Dux, ac Regnorum Dalmacie, Croacie, Sclauonieque Banus &c. Memorie commendamus per presentes: Quod licet in predicto Regno Sclauonie semper et ab antiquo consuetudo per Banos pro tempore constitutos observata fuisset: Quod Bani eorum officium Vicebanatus aliis personis dare et conferre non potuissent nisi pocioribus Nobilibus, familiaribus scilicet eorum, in eodem Regno Sclauonie possessiones et bona habentibus; tamen nunc iidem Nobiles Regni Sclauonie, tum quia condam Serenissimus Princeps Dominus Mathias Rex &c. laudande memorie dominus genitor noster, ipsos in eorum libertatibus graciose fouisset et tenuisset; tum etiam ex eo, quod nos Almanos, qui proxime sedatis disturbiorum temporibus in hoc Regno Sclauonie multa castra, castella et fortalicia obtinuerant, de eisdemque diuersa spolia, dampna, incendia et alias hostiles enormitates exercebant, nostris propriis sumptibus et expensis cum bombardis et aliis ingeniis non absque notabili nece et effusione sanguinis familiarium nostrorum ab eisdem Almanis obtinuimus, et illis, quorum fuerunt, restituimus. Ob que iidem Nobiles, non volentes esse immemores graciosis beneficiis eiusdem quondam domini nostri Regis atque nostris, Egregium Johannem Gyulay in eorum Vicebanum ad petitionem nostram susceperunt et assumpserunt. Nos autem pollicemur et promittimus eisdem Nobilibus presencium per tenorem, vt si idem Johannes Gyulay in conseruacione et gubernacione huiusmodi Officii Banalis contra eorum libertatem et iusticiam aliqua dampna vel iniurias cuicumque ex ipsis fecerit, aut homines sui intulerint, quod nos quemlibet eorum de huiusmodi dampnis et iniuriis contentare volumus et teneamur, quodque idem Vicebanus, Vicecomites, Notabiles ex Nobilibus eiusdem Regni Sclauonie et non extraneis constituere debeat et teneatur. Vbi autem officium dicti Vicebanatus nos ab eodem Johanne Gyulay auferre contigerit, vel autem idem sponte nobis resignauerit, extunc in posterum non alium, quam ex pocioribus Nobilibus huius Regni Sclauonie, familiarium scilicet nostrorum, in Vicebanum preficere et constituere valeamus et teneamur. In cuius testimonium presentes litteras nostras eisdem Nobilibus Regni duximus concedendas. Datum Crisii inter octauas Resurrectionis Domini. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto.

(Sigillum Johannis Corvini, in rubra cera, appressum).